



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Benedictio Vini propria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum & fructuum, qui per Iesum Christum filiū tuum Dominum nostrum, substantiam hanc in refocillationem sitis & corporum salutem esse voluisti; te supplices deprecamur, vt exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis aspectu sancti-**f**ices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incurfio, vt quicumque ex ea sumpferit, ei gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propitiante ab eo procul recedāt. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, &c.

Resp. Amen.

Et aspergat Aqua benedicta.

Alia Benedictio V I N O propria.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, qui es vitis vera, multiplica super nos misericordiam tuam, & bene**f**dicere & sancti**f**icare digneris hanc creaturam vini, vt quicumque

ex

304 MANVALIS EXORCISMORVM
ex eo sumet, diuinæ benedictionis tuæ opu-
lencia repleatur & sanctificetur, & corporis
sanitatem & animæ tutelam percipiat. Qui
cum Patre & Spiritu sancto viuis & re-
gnas, &c. *Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Benedictio OLEI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo.

Oremus.

EMitte, quæsumus Domine, Spiritum
sanctum tuum Paraclitum de cælis in
hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi
ligno producere dignatus es, ad refectionem
mētis & corporis, vt tua sancta bene-
dictione sit omnibus hoc vnguento cælestis
medicinæ perunctis tutamen mentis & cor-
poris, ad euacuandos omnes dolores, om-
nesque infirmitates, omnemque ægritudi-
nem mentis & corporis, & si quod illis ad-
uersantium spirituum adhæreat nocumen-
tum, ad tactum & sumptionem sanctificati
olei huius abscedat, nullus spiritualibus ne-
quitiis locus, nulla refugis virtutibus sit fa-
cultas, nulla insidiantibus malis latendi li-
centia relinquatur. Per Christum Domi-
num nostrum. *Resp.* Amen.

Bene-